



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

97. An iudex laicus possit exigere pœnas impostas à lege, si Clerici illam transgrediantur, & res venditæ cecidissent in commissum? Et notatur Clericos pro damno, & noxa data à suis animalibus non ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

à lege impositas: nam illa prior est etiam poena à lege constituta, ad quam Clericus non tenetur; nec Index laicus ex carentia iurisdictionis potest illam exigere: ergo dicendum, quod in tali casu Clerici sunt exempti, & liberi ab incurfione dictarum poenarum legis, quam Principes promulgant; verum possunt puniri ab Episcopis; mitiori tamen poena, ut *suprà* in alia Resolutione notauimus.

Sup. in Ref. quæ hic est etiam *suprà* 90. in eius §. vlt. & in aliis eius notat.

## RESOL. XCVII.

*An Index, laicus possit exigere poenas impositas à lege, si Clerici illam transgrediantur & res vendita ceciderint in commissum?*

*Et notatur Clericos pro damno, & noxa data à suis animalibus non posse conueniri coram iudice seculari, neque teneri ad poenas impositas.*

*Et aduertitur adilem non posse Clericum compellere, ut domum ruinofam destruat, ne vicinis noceat, neque pro plateis mundandis, vbi ipsi degunt, poenas pecuniarias extorquere.* Ex part. 4. tract. 1. Ref. 8.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docent aliqui iuniores Iurisperiti, ut alibi notauimus, quibus iterum addo Pereiram *de manu Regia part. 2. cap. 39. num. 15.* quando poena imposita à lege, exigenda est de plano, quasi in commissum ceciderit: unde ait ille. Si Clericus frumentum, vel oleum publicè exposuit venditioni, excedens taxam præfixit à Adilibus, si frumentum amissionem incurrit, ex statuto capi potest, quasi in commissum ceciderit, & hanc sententiam (quod vehementer doleo) tenet etiam Casus Palus in opere *moralium tom. 1. tr. 3. disp. 1. punct. 14 §. 6. n. 9.* vbi ita asserit. Si poena exigenda est de plano absque alia controuersia iudiciali, qualiter solent iudices exigere ob solam declarationem ministrorum, qui signati sunt ad has poenas, seu contributiones exigendas, tunc licet videtur posse seculares iudices illam ab Ecclesiasticis exigere; quod si solvere noluerint, poterunt hanc illis aliqua in pignus accipere solutioni præstandæ, quia hæc non tam in poenam violatæ legis accipiuntur, quam in reparationem damni dati, seu in contributionem debitam. Ita Palus. Sed magis amplè, & minus benè loquitur in hac re Samuel Lublinus in *summa casuum conscient. ver. Bulla Cæn. cap. 17.* vbi sic ait. Constituit Rex cum Senatoribus in suis Comitibus iustum pretium frumenti, simul obligans ad poenam subditos, si maiori pretio præsumerent vendere, interim Clericus contra hanc pragmaticam carius vendit, cuius bona index, vel magistratus ex officio sequestrat, numquid talis censuram incurrit? Dicendum quod leges taxantes pretium rebus, non solum obligant seculares, verum etiam Clericos, quoties illas vendiderint, proinde licet Clerici non sint subiecti legibus ciuilibus, subduntur tamen legi naturali & diuinæ: quæ præcipit ne res alio pretio, quam iusto vendantur, ergo præfatus index frumentum Clerici sequestrans non incurrit censuram. Oppones, igitur per te Clerici transgressores legum ciuiliu sunt puniendi? Respondeo in personis nequaquam puniendi, sed solum in rebus & bonis temporalibus. Hæc Lublinus. Sed hæc omnia sunt directè contra immunitatem Ecclesiasticam, & contra opinionem Lublini, Theologo quidem indignam, oppono Theologorum omnium communem opinionem, & pro nunc contra illum satis firè adducere ex eadem illustri Dominicana familia Antonium Soufam in *Bull. Cæn. cap. 20. disp. 95. num. 4.* vbi probat, quod sicut index laicus non potest in rebus Ecclesiasti-

Alibi in Resol. præcetera signanter in §. Ex his & seq. & n. f. in Ref. 101. eandem in §. Sed.

cos ad suum tribunal trahere; ita neque etiam sequestrare: nam si persona Ecclesiastica est exempta, ergo & res eius. Vide me ipsum in *part. 1. tract. 2. resol. 41.* Ad sententiam verò Casus Palus, quæ etiam est contra communem Theologorum, oppono ex eadem Societate Iesu P. Suarez *de legib. lib. 3. cap. 34. num. 17.* vbi tenet, quod maior coactio efficitur, quando absque alia controuersia iudiciali exigitur poena imposita à lege, ut est in casu quem docet Palus & Pereira, à quibus peto: Res illæ, quas malè vendunt Clerici, quo iure cadunt in commissum? certè non ex alio capite, quam ex lege prohibente; ergo etiam hæc est poena, ad quam Clericos indubitatum est non teneri; ergo, &c. Vide etiam me ipsum *vbi supra resol. 15. 71. & 76.*

2. Nota etiam hic obiter contra Pereiram *loc. citato num. 8. 9. & 11.* Clericos pro damno & noxa data à suis animalibus non posse conueniri coram iudice seculari, neque teneri ad poenas impositas, ut patet ex dictis.

3. Nota etiam secundò contra Pereiram *vbi supra n. 17.* adilem non posse Clericum compellere, ut domum ruinofam destruat, ne vicinis noceat, neque pro plateis mundandis vbi ipsi degunt, poenas pecuniarias extorquere, num hæc compulsio faciendæ est per iudicem Ecclesiasticum, ut nos *locis citatis* satis firmamus, & docet Molina *de iustit. tract. 2. disp. 1. 672. n. 5.* nunquam enim laici habent iurisdictionem ad cogendos Clericos, ut in casu simili notat Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 26. num. 6.* & ita nouissime hanc sententiam docet Thomas Sanchez in *opusculo tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 9. & 11.* vbi in dictis & similibus casibus putat Clericos per iudicem Ecclesiasticum debere cogi.

Quæ hic est infra Resol. 268. §. Vnde, & in aliis multis eius primæ notat.

Quæ hic est infra Resol. 100. 98. & 98. Super hoc in Resolutione 102. & 101. in alio §. eorum notat.

Sup. hoc infra Resol. 144. §. 1. Paulo post initium & lege alia Ref. eius primæ not. & etiam secunda.

## RESOL. XCVIII.

*An Clericus, qui falsa mensura triticum, & vinum, vel oleum vendidit, possit puniri à iudice seculari?* Ex part. 1. tract. 2. Ref. 77. aliàs 76.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Chassaneus *consuet. Burgund. rubr. 1. §. n. 90.* Petrus Cenedo in *collekt. iur. can. p. 1. collekt. 37. num. 18.* & Ludouicus Mexia in *prag. taxa panis, conclus. 5. num. 29.* cum aliis Iurisperitis.

2. Sed ex dictis contrarium profus asserendum est: nam, ut firmat Augustinus Vigianus *tract. de immunit. Eccles. disp. 2. conclus. 3.* Vasquez in *p. 2. tom. 2. disp. 167. cap. 4. num. 29. & 30.* Salas *de legibus, disp. 14. sect. 9. num. 106.* Barbosa in *collekt. tom. 1. lib. 3. decret. tit. 17. cap. vt mensura de empr. & vendit. num. 3.* qui citat Martham, & alij Theologi communiter, Clerici legum ciuiliu violatores, minimè puniri possunt à politico Magistratu. Et licet, ut *superius* diximus, teneantur obedire legibus ciuilibus in his rebus, quæ spectant ad regimen ciuitatis, & sacris Canonibus ac clericali officio non repugnant: tamen ad hoc tenentur, non directè, sed indirectè; non vi legis, sed vi rationis, & idè non possunt à Iudice seculari, si illas transgrediuntur, aliquo pacto puniri, sed ad Iudicem Ecclesiasticum recurrendum est. Vide etiam Filliucium *tom. 2. tract. 35. cap. 9. n. 94.* & Barthomæum à S. Fausto in *specul. Confess. disp. 6. quest. 44. num. 3.*

Sup. hoc in Ref. seq. & infra in Ref. 101. §. in fine, & seq.

Superius in Ref. quæ hic est *suprà* 90. & in omnibus aliis eius primæ, secundæ, & terciæ annotationis.

## RESOL. XCIX.

*An Clerici, si fraudem efficiant quoad pondera, & mensuras, vel quoad pretium rerum venalium possint puniri*